

## CAPUT SECUNDUM.

## De contextu.

(Investigatio sensus logica et rhetorica.)

## § 29.

## Contextus notio et usus.

1. — Ut oratio intelligatur, praeter linguam etiam alter fons et criterium sensus, scilicet contextus consideretur, oportet. *Contextus seu textus* definitur: *oratio continua ordinem et relationem cogitationum verbis cohaerentibus atque dispositis significans*. Tria autem ad contextum pertinent: *nexus*, *argumentum* et *stylus*; nexus est elementum dialecticum, argumentum elementum noëticum et stylus elementum rhetoricum.

Sola consuetudinis loquendi cognitio ad sensum inveniendum non sufficit. Consuetudo enim loquendi docet quidem, quaenam significations vocibus atque phrasibus in se et generatim convenient, sed non indicat, quamnam e pluribus significacionibus auctor aliquo loco verbis exprimere intenderit. Quod ut cognoscatur, totius orationis, ejus partium et connexionis ratio habenda est. Homo enim prudens dicta sua in ordinem redigere solet, ut partes cohaereant et ad unum finem dirigantur. Hinc una pars orationis connexae ex alia pendet et ab ea determinatur, ergo etiam ex ea bene intelligitur. Interpres igitur eum debet singulis locis subjecere sensum, qui reliquis orationis partibus congruit. Speciatim interpres formam orationis logicam, idest partium orationis *nexus*, deinde argumentum seu materiam orationis, et elocutionis formam ejusque vim cognoscat oportet. Quivis certe expertus est, voces deletas saepe e contextu suppleri, corruptasque corrigi posse; eo magis ergo sensus partium ex tota oratione colligitur.

2. — Circa usum contextus sequentes *regulas* statuimus.

1. *Non licet contextus gratia* — ergo nexus, argumenti, nec styli gratia — a consuetudine loquendi unquam discedere; — ne tunc quidem, si talem significationem textui congruentem sed consuetudini loquendi contrariam etymologia, analogia linguae vel dialecti cognatae commendent. Omnis enim loquens verba sua e consuetudine loquendi, non autem ex etymologia, analogia vel dialectis depromere solet.

E. g. in dicto Baptiste: *qui ante me ἐμπροσθέν μου factus est* (Joan. 1, 27.) textus quidem suadet sub voce *ἐμπροσθέν* praerogativam

dignitatis et auctoritatis intelligere; id tamen prohibet consuetudo loquendi, quae docet, voce illa non nisi locum et tempus significari.

2. *Non licet verbis e S. Scriptura excerptis eum sensum tribuere, qui iis in contextu non convenit.* Ratio patet.

Contraria exgesi facile probaretur Deum non esse (Ps. 13, 1.) vel hominem nullius legis imperio subditum esse (I. Cor. 6, 12. 10, 23.). Haec regula prohibet etiam usumexegeticum sensus accommodati; minime tamen usum ejus rhetoricum.

3. *Caveat interpres, ne in usu contextus modum excedat et semper accuratum, ad leges logicae ac rhetoricae accommodatum nexus stylumque praesumat.* Sacri enim scriptores, praecipue Novi Testamenti, plerique illitterati structuram sermonis artificiosam, ejusque subtilitatem et elegantiam parum curabant.

## ARTICULUS PRIMUS.

## Investigatio sensus logica.

## § 30.

## Nexus orationis ejusque species et usus.

1. — Nexus (összefüggés, Zusammenhang, *σύνδεσμος* vel *ἀνολογία*) est *partium orationis*, idest verborum, propositionum et locorum *conjunctionis atque relationis*. Dispositio autem externa et successio partium nexui interno respondens vocatur *ordo*. (Sorrend, Reihenfolge.) Nexus vocatur etiam connexio, cohaerentia vel (sensu strictiore) contextus, quia omnes istae voces etymologice idem fere significant.

2. — Nexus varia ratione dividitur.

a) Ratione *vinculi seu relationis*, qua partes orationis connectuntur, nexus est: grammaticus, logicus, psychologicus, historicus et opticus. Nexus *grammaticus* est *conjunctionis membrorum orationis*, congruentia formarum, particulis verborumque ordine designata. Nexus *logicus* est *conjunctionis partium orationis*, formis et legibus cogitationis effecta. Nexus *psychologicus* est inter dicta lege associationis idearum et lege affectuum *conuncta*. Nexus *historicus* jungit narrationes factorum vinculo temporis, loci vel internae cognitionis connexorum. Nexus *opticus* unit praedictiones eventuum propiorum et remotiorum in una imagine visorum ac

descriptorum. Hae tamen species nexus invicem se non excludunt, sed una simul adesse possunt.

b) Ratione *propinquitatis* eorum, quae cohaerent, nexus est proximus, propior et remotior. (Vocatur etiam arctissimus, arctior et latior.) Nexus *proximus* est inter partes ejusdem propositionis, *propior* jungit propositiones vicinas, *remotior* (seu mediatus) propositiones et alias orationis partes non vicinas.

c) Ratione *momenti* dictorum cohaerentium nexus est principalis et secundarius. Nexus *principalis* est inter partes orationis essentiales seu ad ideam loquentis exprimendam necessarias; nexus *secundario conjunguntur* partes accidentales sive inter se, sive cum parte essentiali. Partes accidentales sunt e. g. parentheses, digressiones, explicationes, descriptions, ambages etc.

3. — In usu nexus hermeneutico sequentes *regulae* sunt observandae.

a) *Nexus non est a priori constituendus, neque arte ac vi, scilicet per conjecturam criticam vel artificium hermeneuticum extorquendus.* Falsa conjectura critica Ariani teste S. Augustino (De doctr. Chr. III. 2.) in primo evangelii Joannis versu post verba *Deus erat* punctum posuerunt, et vocem subsequentem *Verbum* ad sententiam posteriorem traxerunt.

b) *Non licet sine justa causa ellipsis praesumere.* Ea enim, quae ad expressionem cogitationis pertinent, supprimi non solent; si tamen suprimuntur, aliquo signo vel manifesta supplementi necessitate produntur.

c) *Cavendum est, ne alia nexus species statuatur, ac revera adest;* imprimis ne nexus logicus pro psychologico, chronologicus pro reali supponatur. Ratio per se intelligitur.

### § 31.

#### *Nexus grammaticus.*

1. — Nexus grammaticus est duplex: stricte *grammaticalis* et *syntacticus*; prior inter membra unius propositionis, posterior inter propositiones connexas intercedit.

*Nexus grammaticalis* est inter subjectum et praedicatum, inter objectum et praedicatum, inter articulum et nomen, inter substantivum et attributum, inter adverbium et adjективum aut verbum, inter adjективum aut verbum et casum iis adjunctum, praepositionem et nomen, conjunctionem et verbi modum. Vincula et signa nexus grammaticalis

sunt: flexio et congruentia formarum in genere, casu, numero, persona, deinde praepositiones, casus dependentes, collocatio (vicinitas) et ordo vocabulorum.

*Nexus* autem *syntacticus* est inter propositiones adjunctas et subjectas, quarum vincula signaque sunt conjunctiones, pronomen relativum, consecutio modorum verbi ac temporum, et ipsa vicinitas propositionum.

*Regula 1. Nexus grammaticus est fundamentum et signum aliorum nexus generum, ideo primo inquirendus.*

*Regula 2. Quum homines praecepta linguae plerumque observare soleant, praesumptio semper stat pro nexu grammatico regulari.* Non licet ergo nexus grammaticum irregulariter sine justa causa alicui loco ingerere.

Sunt tamen aliquae irregularitates nexus grammatici, quarum interpres rationem habeat oportet.

a) *Constructio ad sensum seu ad intellectum* (*ζατὰ σύνεσιν*) est congruentia vocabuli non cum forma (numero, genere) vocis, ad quam pertinet, sed cum re, quam haec significat.

Hujusmodi constructio etiam in S. Scriptura frequens est. E. g. Gen. 23, 4. 6. Deut. 4, 10. Matth. 1, 21. 28, 19. Joan. 12, 12. 13. 18. Act. 15, 36. Galat. 4, 19. Philipp. 2, 15. 3, 20. Col. 2, 19. II. Petr. 3, 1. — omnes in texto originali Hebraico aut Graeco, plerumque etiam in Vulgata.

b) *Hypallage* seu *enallage* est permutatio generis, numeri, casus, temporis, non in consuetudine loquendi, sed in casu particulari. E. g. dare classibus austros (classes austris), vina cadis onerare (vino cados).

c) *Paralogismus grammaticus* est forma vel constructio illogica legibus linguae praecepta. Talis est e. g. genitivus adverbialis (*vvxtός* noctu, proditionis accusare); deinde accusativus objecti participantis (decet me, taedet me vitae), tum verbum deponens et neutro-passivum (hortari, vapulare). Tales locutiones partim ellipticae sunt, partim antiqua vocis aut formarum significatione nituntur, partim aliam causam habent. Ita *vvxtός* scil. tempore, proditionis sc. reum accusare, decet = ornat, taedet = taedium capit, vapulare = lamentare.

Ad nexus grammaticum melius perspiciendum et ad terminologiam grammaticam interpreti tam necessariam, recolandam haud ab re erit varia orationis elementa eorumque formas ac relationes hic paucis adumbrare.

2. — *Vocabulorum genera* circiter respondent categoriis et principiis relationibus logicis; ideo omnes linguae eadem in essentia

habent vocabulorum genera. Omnia autem haec genera in tres classes referuntur: *nominis*, *verbi* et *inflexorum*. Nominis species sunt substantivum, adjективum (et participium), numerale et pronomen. Inflexa sunt: adverbia, praepositiones (vel postpositiones) et conjunctiones. Substantivum est abstractum et concretum, posterius est appellativum (universale), collectivum et proprium. Pronomen est substantivum et adjективum. Ejus species est etiam articulus. Verbum est aut activum (transitivum et intransitivum seu neutrum), aut passivum. Praeterea verbum in multis linguis alia etiam habet genera seu formas (in aliis linguis circumlocutionibus expressas). Formae frequentiores sunt media (seu directe et indirecte reflexiva), intensiva, causativa; rariores autem sunt reciproca, intentionalis, necessitatis et potentialis. Adverbium est proprie dictum, numerale et locutio adverbialis (substantivum cum praepositione). Interjectio est quasi vox animalis, non autem verum vocabulum.

*Propositionis*, quae judicium logicum significat, *partes* essentiales sunt: *subjectum*, *praedicatum* et *copula*. Subjectum est substantivum, praedicatum est aut nomen (substantivum vel adjективum praedicativum) cum copula, aut verbum finitum. At subjectum et praedicatum logicum saepe pluribus verbis (notis et relationibus logicis) determinantur, quae sunt illorum *complementa*. Hujusmodi complementa sunt: attributum, objectum, et adverbium; propositio autem ita aucta vocatur amplificata. *Attributum*, quod cuivis substantivo propositionis potest adjungi, est adjективum (qualitativum, numerale vel pronomen) aut substantivum (genitivus, nominativus i. e. appositiō et casus cum praepositione). *Attributum* adjективum in substantivum (plerumque genitivum) mutari potest, ejusque naturam nomenque participat. *Attributum praedicativum* vocatur attributum subjecti, logice adverbium praedicati significans. (E. g. Cicero consul conjurationem detexit.) *Objectum* est passivum (directum) scil. casus accusativus, et participans (indirectum), scil. dativus. Utrumque objectum ad praedicatum pertinet. *Adverbium* est aut purum aut locutio adverbialis.

Clavis, qua sensus propositionis aperitur, est inventio subjecti. Hac in re notandae sunt

*Regulae*. 1. *Subjectum* in linguis Indogermanicis *praemitti solet* (nisi praedicatum sit emphaticum). E contrario lingua Hebraica praedicatum subjecto anteponit. 2. *Subjectum plerumque articulum accipit* (si lingua habet), *praedicatum non item*.

E. g. Joan. 4, 24. πνεῦμα ὁ Θεός. Multae sunt tamen exceptiones. Praesertim praedicatum determinatum (individuum significans) vel

emphaticum saepe articulum habet, quo in casu nexus et argumentum orationis quid sit subjectum et quid praedicatum, docent. E. g. Matth. 6, 22. δ λύχνος τοῦ σώματός ἔστιν δ ὀφθαλμός.

3. — Variae idearum relations (praeter praepositiones et vocabulorum collocationem) *flexione*, cuius vicem etiam agglutinatio suffixorum obtinet, designantur. Flexio autem bifaria est: declinatio nominum et conjugatio verborum.

*Declinatio* fit per casus (vel suffixa). Unus casus saepe (etiam sine praepositionibus) multas relations exprimit, ergo multiplicem habere potest significationem. Casus logici sunt: casus subjecti (et subjecti praedicativi), qui est nominativus, casus attributi plerumque genitivus, casus objecti participantis scil. dativus, casus objecti passivi sc. accusativus, casus adverbii qui est plerumque dativus, ablativus aut casus praepositioni adjunctus. (Vocativus est quasi interjectio.) Quinque illi casus logici in omnibus linguis adsunt, quamquam vario modo et nomine designantur. Significatio tamen casuum logica nonnunquam per paralogismum permittatur.

In S. Scriptura, diversarum linguarum ingenium pree se ferente, multiplex est *casuum obliquorum* (gen. dat. acc. et in Latino abl.) *significatio*, eaque saepe intellectu difficilis.

*Genitivus* est: possessoris, auctoris, originis et causae, *familiae ellipticus*, *subjectivus*, *objectivus*, explicativus seu epexegeticus, partitivus et (in Gr.) comparativus, qualitatis, quantitatis et pretii, *contenti*, *materiae*, *similitudinis*, *finis* seu *termini* et *regionis*. Ex his plerumque omnibus linguis communibus et cuique notis aliquot species in Bibliis frequentiores ac difficiliores explicandas ducimus.

a) *Gen. familae ellipticus* revera g. possessivus est, cuius possessum — uxor, filius, parens, rarius frater — reticetur, et articulo (in Graeco) indicatur.

E. g. ἡ τοῦ Οὐρίου sc. γυνή ea quae fuit Uriæ, *Μαρία* ἡ τοῦ Κλωπᾶ Maria Cleophae (uxor), *οἱ τοῦ Ζεβεδαίου* sc. *viri*, Joannes Zebedaei sc. filius, Maria Jacobi (mater), Judas Jacobi (frater).

b) *Gen. subjectivus* est ille, in quo subjectum latet nominis adjuncti, quod rursus praedicatum latens (verbum, adjективum) continet. Talis genitivus nomine adjuncto in praedicatum mutato, hujusce subjectum fit. Sufficit autem, ut sensus (etsi non forma vel radix) verbi in substantivo lateat.

E. g. amor patris sc. pater amat alium, metus Judæorum (Judæi metunt), pietas liberorum (liberi pii sunt), injuria civium (cives injusti sunt).

c) *Gen. objectivus* pariter nomini praedicatum continentis apponitur, quo (in verbum finitum vel adjectivum cum copula) resoluto, genitivus fit ejus objectum passivum, participans aut adverbium. In Graeco frequentior est, quam in Latino, in lingua Hebraica frequentissimus.

E. g. *Objectum passivum*: amor, zelus Dei (erga Deum, quo quis amat Deum), metus Judaeorum (a Judaeis sc. Judaei metuntur), odium peccati (aliquis odit peccatum), purgatio peccatorum (a peccatis, sc. peccata purgantur). *Obj. participans*. Promissiones patrum (sc. iis factae), obsequium Christi (sc. Christo praestitum), benefactum hominis infirmi (sc. infirmo impertitum). *Adverbium*. (*Gen. adverbialis*.) Apostasia religionis (a religione), aspersio sanguinis Christi (sc. sanguine abl. instrum.), liberatio mortis (a morte), paraseve paschatis (sc. ad pascha), transmigrationis Babylonis (in Babyloniam), resurrectio vitae, judicii (ad vitam, ad jud.). *Cum praedicato adjectivo*. Pietas parentum (filii erga parentes pii sunt), injuria civium (erga cives), inopia cibi (aliquis cibi inops est). *Praedicatum in sensu latens*. Evangelium regni sc. praedicatio, doctrina regni Dei (apostoli evangelizant regnum), verbum crucis sc. praedicatio de crucifixione (crux praedicatur), potestas omnis carnis, spirituum immundorum sc. in omnes homines, spiritus (aliquis potens est in eos), opus Dei (quod aliquis facit pro Deo, ad gloriam Dei).

d) *Gen. contenti*. E. g. modius tritici, alabastrum (vas) unguenti sc. unguento plenum, asinus panis, sc. panis, quo asinus onustus est.

e) *Gen. similitudinis*. S. Scripturae proprius. E. g. via Cain, sc. ejus viae (vitae) similis, spiritus et virtus Eliae; sepultura asini sepelietur sc. ita sepelietur (insepultus manebit) ut asinus, stigmata Domini sc. ejus stigmatibus similia.

f) *Gen. finis seu termini*. E. g. porta ovium sc. in usum earum, lignum vitae sc. ad vitam, viae gentium sc. ad gentes, justitia vitae aliquando = justificatio ad vitam, oves occasionis sc. ad sacrificandum.

g) *Gen. regionis*. E. g. via maris sc. versus, praeter vel ad mare, Cana Galilaeae.

*Dativus* est: commodi et incommodi, directionis et recipientis, finalis, communitatis et societatis, similitudinis, propinquitatis, amicitiae et affectus, idoneitatis, proprietatis et possessoris; — deinde species dativi in Graeco, quae ablativo Latino respondent et adverbium designant: dat. auctoris (juxta verb. passivum), respectus, modi, causae, instrumenti; mensurae, ethicus, loci et temporis. Frequentior adhuc est dativus adverbialis cum praepositionibus.

*Accusativus* tum purus, tum praepositioni adjunctus vim adverbii quoque obtinet, scil. adverbii temporis (quando, quamdiu?), mensurae (quantum?), respectus, modi, et loci (quo? quousque?).

*Conjugatio* verbi fit per modos, tempora, numeros, personas, et e. g. in linguis Semiticis etiam per genus (subjecti). Modi verbi *finiti* sunt: *realis* seu *independens* (veritatis, certitudinis) qui est indicativus, modi *potentiales* (conjunctionis, conditionalis et optativus) et *imperativus* seu voluntatis. *Nomen verbale* autem, quod actionem sine subjecto significat, duplex est: substantivum scil. *infinitivus* (cujus casus sunt etiam gerundium et supinum) et adjectivum scilicet *participium* (et adjectivum verbale Graecum.) *Tempora* autem verbi sunt *praesens*, *praeteritum* et *futurum* (relata ad tempus sermonis), quorum actio potest esse *infecta* (durans seu *repetita* et *momentanea* seu *incipiens*) et *perfecta*. Formae temporum in lingua Hebraica sunt paucae; in aliis linguis e. g. Graeca et Latina multae ac diversissimae. *Numerus* verbi est singularis et pluralis (in nonnullis linguis etiam dualis). *Personae* sunt tres: *prima*, *secunda* et *tertia*.

4. — *Propositio* quoad materiam (sensem) est *enuntians*, *interrogativa*, *exclamativa*, *optativa* et *adhortativa* seu *imperativa*, quae plerumque possunt esse *affirmativa*, *negativa*, *possibile* et *necessariae*.

Propositiones cohaerentes, conjunctione vel pronomine relativo connexae sunt *propositiones compositae*. (Si subjectum vel praedicatum commune semel tantum enuntiatur, *contractae*.) Compositio est duplex: *adjunctio* et *subjectio* (*coordinatio* et *subordinatio*). Propositiones adjunctae, quamquam unius cogitationis sunt partes, tamen etiam in se perfectum sensum habent. In propositione subiectione composita una est *propositio principalis*, a qua *propositio subjecta* (una vel plures) conjunctione vel pronomine relativo annexa, ita dependet, ut vim partis ejus obtineat, et sine ea non intelligatur. *Propositio subjecta* praemissa vocatur protasis, *principalis* autem ad finem rejecta dicitur apodosis. Artificialis quaedam protasis et apodosis *compositio est periodus*.

*Species propositionis coordinatae* sunt: copulativa quae alteram propositionem (nonnunquam augendo) addit, disjunctiva quae eam excludit vel distinguit, adversativa quae eam opponit vel praecedentem sententiam restringit, concludens, quae *consectaria* colligit et causalit, quae rationem affert vel praemissa explicat. Omnes autem istae propositiones suas habent conjunctiones proprias e grammaticis notas.

*Species* autem *propositionis subordinatae*, pro partibus propositionis *principalis*, quarum locum obtinent, discernuntur sequentes: propo-

sitio subjectiva, attributiva, objectiva directa, objectiva indirecta, adverbialis. Propositionis autem adverbialis totidem sunt species, quot adverbii, scil. propositio localis, temporalis, causalis (et auctoris, originis), instrumentalis, separativa et sociativa, modalis (et respectiva), conditionalis, finalis (et directionis), consecutiva, concessiva et comparativa.

### § 32.

#### Nexus logicus.

1. — Nexus logicus pro varia relatione, quae inter partes orationis intercedit, plurimas habet species. Nexus logico inter se junguntur:

- a) *Notio et ejus notae*, notarumque explicatio, descriptio, item notio et ejus correctio.
- b) *Notio et ejus divisio*: totum et pars, genus et species.
- c) *Subjectum et praedicatum logicum*, quae e pluribus vocalibus composita esse possunt, scilicet e subjecto aut praedicato grammatico et variis horum determinationibus (notis logicis): attributo, objecto et adverbio. Praedicatum logicum est *descriptivum et narrativum*, prout subjecti proprietates aut ejus actiones passionesve enuntiat.
- d) *Thesis et ejus expositio*, explanatio vel illustratio.
- e) *Thesis et ejus demonstratio* (argumenta) aut refutatio.
- f) *Thesis et antithesis*.
- g) *Sententia et ejus restrictio*.
- h) *Ratio (praemissa) et ejus conclusio*.
- i) *Regula seu lex et ejus adhibitio*.
- k) *Casus singulares et legis inductio*.
- l) *Causa et effectus*.
- m) *Antecedens et consequens*.
- n) *Conditio et conditionatum*.
- o) *Similia, diversa et opposita*.
- p) *Relatum et correlatum*.
- q) *Interrogatio et responsum*.

2. — *Regula 1. Sensus aliis partibus logice adjunctis repugnans rejiciendus est*. Auctor enim sanus et prudens merito creditur, dicta sua secundum leges cogitationis ordinasse. Ideo in quavis oratione congruentia partium logica et ordo rationabilis praesumenda sunt, et e sensu unius partis sensus alterius logice connexae colligendum.

*Regula 2. Caveat interpres, ne diversas nexus logici species confundat.*

*Regula 3. Nexus logicus e grammatico et ex idearum ac sententiuarum relatione cognoscitur*. Nexus tamen logicus sine grammatico — e. g. inter propositiones sine signo grammatico juxtapositas — adesse potest et defectus hujus non est criterium absentiae prioris. Id maxime in lingua Hebraica, formarum atque conjunctionum inopi et consecutione temporum carente valet; quippe quae nexus logicum saepe non possit grammaticae significare.

3. — *Usus nexus logici*. Nexus logicus a) docet rationem ac finem partium orationis et ordinis earum. Hoc ipso b) clarum orationis conspectum exhibet. c) Intelligentiam adjuvat, quia partes connexae invicem se illustrant. d) Memoriam juvat, quia partes orationis velut lino inserit et conglutinat, quae dissolutae non nisi magno labore memoria comprehenduntur, facileque de ea excidunt. e) Vim argumentorum ostendit, quae contexta et aliis superstructa mutuo se complent atque augent. f) Docet sensum verborum per se multa significantium. g) Indicat vel explicat nexus grammaticum incertum vel obscurum vel irregularis, specialiter constructiones ad sensum, paralogismos, soloecismos, barbarismos et vitia sermonis. Imprimis autem determinat sensum conjunctionum in lingua Hebraica et hebraizante nimium vagum.

### § 33.

#### Nexus psychologicus.

1. — Nexus psychologicus est inter eas ideas vel sententias, quae lege associationis idearum vel lege affectuum coniunguntur. Associantur autem seu altera ab altera excitantur *ideae*, inter quas vel quarum objecta similitudo, oppositio, relatio causae et effectus, propinquitas loci aut temporis intercedit. Lex autem *affectuum* ea est, ut illi tum internis animi dispositionibus, tum externis impulsibus, tum aliis animi motibus similibus (rarius contrariis) commoveantur. Nexus psychologicus in S. Scriptura, virorum orientalium, vivido ingenio praeditorum opere frequentissimus est.

2. — *Usus nexus psychologici est sequens*.

a) Nexus psychologicus docet, quae sit ratio dicti et dicendi modi, aliquando plane, ut videtur, inopportuni. Speciatim nexus psychologicus saepe rationem reddit locutionis tropicae. Res enim